



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 1. Nomen Hiberniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

re. Alij ex Gothiâ, quæ tum Scythia dicebatur, vt colligitur ex lib. 2. Procopij, de bello Goth. Quidquid sit Hiberniam primò subierunt: exinde transierunt in partem Septentrionalem Britannia, vbi iuncti Pictis grauissima bella gessere cum Romanis, & Britannis cultioribus. Picti autem videntur indigenæ fuisse, & hoc accepisse nomen à corporibus *Pictis Glasto*, quod eruditè Camdenus probat. Hi autem Picti occupabant partem Meridionalem præsentis Scotia, cum Scoti Borealem incoherent. Sed cum Scotorum copiæ subinde nouæ ex Hiberniâ transmitterent, tandem exterminati sunt Picti regnante apud eos Kenneto filio Alpini.

Dicuntur autem Scoti semper paruiffe Regibus suis, qui à Fergusio I. ad Iacobum Mariæ Stuartiæ filium c v i i. à Buchanano numerantur. Regnum ad primogenitum Regis demortui deuoluitur, qui dicitur *Rosaye Dux*. Rex magni aliquid gerere nequit inconsulto *Panscotio*, seu *Parlamento*. Tutelam ipse gerit Nobilium, filiorum ad annum 21. filiarum ad 14. & tum eorum bona fisco addicuntur, quod tutelæ genus *Vardam* vocant, nos *la garde noble*. *Panscotium* autem constat ex *Ecclesiasticis*, hoc est Episcopis, Abbatibus, Prioribus; *Dominis temporalibus* scilicet, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vice-Comitibus, & Baronibus; denique ex *delegatis ciuitatum*. Vnicum hîc iustitiæ forum, vulgò *The-Session*.

## CAPVT IV.

*Hibernia.*

EADEM quoque hîc, quæ in Scotiâ consideranda sunt.

§. 1. *Nomen Hiberniæ.*

EAM Britanni *Ynerdon* appellant, Angli *Ireland*, indigenæ *Erin*: Apud Poëtas Hibernicos & fabulosos historiarum scriptores *Bannay* dicitur, vnde facta vox *Allabanny*, altera *Hibernia*, quod nomen concessum esse Scotia supra vidimus. Quod autem *Zephyri Regnum* eam Giraldu dixit, poëticè locutus est.